


Wiener Stadt-Bibliothek

T95643 A





1761  
sep

Ag 5643  
29

S E R M O  
 C E L S I S S I M I  
 A C  
 R E V E R E N D I S S I M I D O M I N I  
 S . R . I P R I N C I P I S  
 F R A N C I S C I  
 E  
 C O M I T I B V S  
 B A R K O C Z Y  
 D E S Z A L A ;

DEI GRATIA ARCHIEPISCOPI STRIGONIENSIS,  
 LEGATI NATI, PRIMATIS REGNI HVNGARIÆ,  
 SVMMI ET SECRETARII CANCELLARII, COMITATVS  
 STRIGONIENSIS SVPREMI, AC PERPETVI COMITIS,  
 VTRIVSQVE SACRÆ CÆSARÆ, ET REGIO - APOSTOLICÆ  
 MAJESTATIS ACTVALIS INTIMI, ET EXCELSI CONSILII  
 LOCVMTENENTIALIS REGII CONSILIARII, EXCELSAE  
 ITEM TABVLÆ SEPTEMVIRALIS  
 CO - JVDICIS, &c.

H A B I T V S  
 TYRNAVIÆ DIE 27. SEPTEMBRIS,  
 ANNO MDCCLXI, CVM PRIMO ACCESSIT  
 AD METROPOLITANAM SVAM  
 ECCLESIAM.


---

VINDOBONAE,

TYPIS IOANNIS THOMAE TRATTNER, CAES. REG.  
 ET APOST. MAJ. AVL. NEC NON INCL. ORDINVM INFER.  
 AVSTR. TYPOGR. ET BIBLIOP.



9. N  
137881



**I**N misera hac peregrinatione inter duos felicis, & infelicis æternitatis fines positi, fere in omni gressu ab utroque aliquid participamus, *Venerabiles Fratres & Filii dilectissimi!* nec tristibus sua deest gaudendi materies, & gaudiis insunt, qui pungant aculei: Sapientissimo DEI Opificis Consilio, ut & præsentis vitæ nimium amorem temperet ejus amor; & futurorum præmiorum spem, suppliciorumque æternorum metum assiduo foveat eorum umbra, & velut quidam præsens, mira hæc tristium, lætorumque permixtio. Eam rerum humanarum legem cum in omnibus rebus & eventibus quotidie sentimus; tum sane perquam manifeste palpo ego in solemnibus hoc meo ad Ecclesiam istam ingressu. *Etsi enim*

mire delectet me felix Vester conspectus, *Venerabiles Fratres & Filii dilectissimi!* exultemque gaudio, quod tot, & tam nobilium membrorum caput constituar; occurrunt tamen in ipso limine non leves causæ, quæ gaudium hoc meum vehementer perturbant. Ut enim jam præteream, quam acerbum mihi fit, avelli ab Ecclesia Agriensi, primum Matre, postea Nutrice, & Altrice, demum Sponsa mea dilectissima: profecto locus hic ipse, in quo stamus, nunquid mœrori nobis sit, quando indecoro Matris apud filiam inquilinatu, vivam antiquæ calamitatis & tristissimi illius exilii imaginem oculis nostris repræsentat? Metuo, ne in nos ceciderit lugubre coronati Vatis ma-

Psal. 68. ledictum: *fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit, qui inhabitet.* Etiamnum gemens

Hier. 4. clamat Mater vestra: *Tabernaculum meum vastatum*

Isaiæ 1. *est, Filii mei exierunt a me; forsan & illud: filios enutrivit & exaltavit, ipsi autem spreverunt me.* Suspirare quidem certe potest: *heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est: multum incola fuit anima mea.*

Equidem non sum tam hebes, ut ignorem, in omni loco dominationis ejus benedicendum esse Dominum, cujus est terra & plenitudo ejus; nec id tamen me latet, multum momenti habere, sive ad oble-

ctan-

Etandum, five etiam ad juvandum prima incunabula,  
 Patrum nostrorum natalibus clara, vestigiis trita, re-  
 ligione consecrata, imo non sine peculiari Divino in-  
 flinctu, Sancto, ac DEI Spiritu regi solito Fundatori  
 indicata. Etiam veteris Testamenti cultoribus, qui-  
 bus, teste Apostolo, omnia *contingebant in figura*,  
 præcepit DEUS: *perges ad locum, quem Dominus* I. Cor. 10.  
*DEUS tuus elegerit, ut ibi invocetur nomen ejus.* Deut. 17.  
*Non enim poteris immolare phase in qualibet urbium*  
*tuarum, quam Dominus DEUS tuus daturus est tibi;* Deut. 16.  
*sed in loco, quem elegerit Dominus DEUS tuus, ut*  
*habitaret nomen ejus ibi.* Multa etiam in ipsa natura  
 sunt, quæ nisi natali solo reddita, parum, aut nihil,  
 vel certe non nisi exquisita arte, & industria fructi-  
 ficant.

Sed dolor hic, licet justus, multis ipsa diu-  
 turna ægrotandi consuetudine factus est insensibi-  
 lis; quos vero adhuc tangit, medicos eos habere ne-  
 quit, nisi peculiari DEI miserentis dono ad eam di-  
 gnationem eligantur. Quod enim Davidi, Viro se-  
 cundum cor DEI, negatum fuit, non temere quivis  
 sperare debet, se electum esse, ut ædificet Domum  
 Domino. Facile etiam pia id genus studia nanci-  
 scuntur adversarios, qui, sicut Israelitis a captivitate

Babylonica reducibus, reparandarum Templi ruinarum obices potentes ponant. Prius igitur quam faciendo huic dolori nostro consilia & manum admoveamus, *audiam, quid loquatur in me Dominus, qui,*  
Pfal. 88. *nisi ædificaverit Domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.* Precor autem Te Domine: *memor esto opprobrii servorum tuorum!* qui dixisti, & facta sunt omnia, dic, *me ædificare Templum in monte Sancto tuo, & in civitate habitationis tuæ altare, similitudinem Tabernaculi Sancti tui, quod præparasti ab initio.* Tunc filii tui *surgent, & egredientur de terra hac, revertentes in terram nativitatis suæ.* Colligent dispersos lapides Sanctuarii, *ædificabunt deserta, & ruinas antiquas erigent:* annuntiabunt justitiam tuam in Ecclesia magna, & in templo tuo omnes dicent gloriam.

Atque prima hæc mordax cura satis minuit diei hujus meæ lætitiã: succedit alia longe gravior, ac periculofior, quam de vivis DEI Templis ædificandis suscipere me oportet. Caput enim nostrum Christus *dedit Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi.* Campus operandi aperitur mihi amplius, quamlibet fortes lacertos vel sola electi frumenti messe fatigare aptus: Si præterea oculos conjiciam in spinas, & tribulos, in lolium, & zizania, quæ inimicus homo su-



perfeminavit, quanto magis imbecillitatis meæ conficius sum, tanto graviore eum colendi metu percellor.

Est tamen, sicut cæteris incommodis omnibus, etiam huic metui admixtum aliquid lætæ spei. Primum quidem erigit me voluntas vocantis DEI, *a quo omnis sufficientia nostra est*, qui *dat bonum velle, & perficere*: non deseret sperantem in se: operi manuum suarum porriget dextram: sublevor deinde fiducia cooperationis Vestræ, *Venerabiles Fratres, & Filii dilectissimi!* quos in partem sollicitudinis Nostræ DEUS tam numerosos, tantisque animi, studii, & fortunæ bonis instructos vocavit. Satagite tantum, ut vocatione Vestra digne ambuletis, & ut *obediencia Vestra in omnem locum divulgata*, honorificetis ministerium meum, in quo *legatione fungor pro Christo*.

Vos in primis *Consistorium sacrum*, utor voce S. Ignatii Ep. & M. *Consiliarii, Assessores* mei, vel, ut D. Hieron. vocat, *Senatus meus, cætus Presbyterorum*, quibus jam cana Ecclesiæ disciplina pulchrum & venerandum a *Canonibus*, seu sacris regulis nomen dedit: Vos, inquam, etiam atque etiam hortor, oro, & obtestor, per adventum Christi, per Regnum ejus, identidem cogitate nomen, quod geritis, ut ejus mensuram scientia & opere impleatis. Quo viciniore sedi meæ, & tremendo Tabernaculo adsistitis, quo amplio.

plioribus honorum titulis, fortunæque bonorum adju-  
mentis ornamini, eo arctius obstricti estis, ut meam  
pro amplissimo grege isto sollicitudinem, & paterna  
tuendi, ornandique Ordinis nostri studia consilio,  
opera, impendio, omni denique cura, industria, ac  
diligentia adjuvetis. Princeps omnino cura Vestra  
fit, ut diligentes decorem Domus Domini, studeatis  
ornare locum, in quo victimas DEO offertis, & ho-  
locausta, hæcque tanta religione, modestia, devotio-  
ne, ac fervore offeratis, vt & ipse *exaudiat de cælo  
preces vestras, & obsecrationem*, divitiasque bonita-  
tis suæ in nos effundat; & Clerus inferior, univer-  
susque populus, exemplo Vestro ad DEUM in spiri-  
tu & veritate adorandum, ad Sancta sancte, mun-  
de, reverenter, frequenter, & ferventer tractanda  
accendatur. Hæc in templo; domi, forisque videte,  
ne quid in vita, moribusque vestris sit, quod pufil-  
los offendat; imo nihil, quod non omnium fidelium  
animos ad DEI timorem & amorem, ad fugam & hor-  
rorem vitiorum, & amorem virtutum, ad contem-  
ptum transitoriorum, & desiderium æternorum invi-  
tet, accendat, ut omnis turba eorum, qui vos vi-  
dent, vel audiunt, *percutientes pectora sua revertan-  
tur. Vos estis presbyteri, in populo DEI, & ex vo-  
bis pendet anima illorum.* Ante omnia autem mutuam

Eccl 3.

in vobismet ipsis *charitatem* habete. *Filii sapientiæ*, Matth. 12.  
*ecclesia iustorum, & natio illorum obedientia & dile-*  
*ctio. Omnis Civitas, vel domus divisa contra se, non*  
*stabit.* Amantissimi Servatoris & Magistri nostri di-  
vina vox est: *ex hoc cognoscemini, quod discipuli mei*  
*sitis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Porro  
*charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non*  
*inflat, non agit perperam, non quærit, quæ sua sunt,*  
*omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.*

Etsi tamen hæc omnia feceritis, munus ve-  
strum, in quo tam decore, & commode statis, haud  
implebitis, nisi una in rebus hierarchicis, in forma  
difficillimi huius Regiminis mihi consilio & auxilio  
esse studueritis. Itaque pro mensura donationis Chri-  
sti, in lege Domini meditemini die ac nocte: Scripta  
Sanctorum Patrum, & eos sacros Canones, quibus  
morum disciplina, Ecclesiæque recte gubernandæ ra-  
tio continetur, diligenter evolvite: horum ductu fre-  
quenter cogitate ea, quæ ad fidei, & disciplinæ  
Christianæ integritatem, puritatem, & tutelam faciant;  
quæ ad morum corruptelas extirpandas, Christiana-  
rumque virtutum amorem implantandum, ad regnum  
Christi ampliandum & firmandum: ad tyrannidem mun-  
di, carnis, & Dæmonis exuendam: ad erigendum,  
ornandumque Ordinem nostrum, & in eo honoran-

dum Christum, *pro quo legatione fungimur*, fervire possint. Et cum hæ præcipuæ curæ meæ futuæ sint, quidquid ad eas excitandas, juvandas, ac promovendas conferre poteritis, non solum fidei, liberoque consilio, & opera indefessa, sed, quando spiritualia siue temporalium adminiculo non procedunt, etiam horum liberali impendio eo promptius præstare, quod cum admodum pauca sint, quæ calamitosis, an senio frigescentibus? his Sæculis aliunde præstolemur, id genus subsidia; tum sane quam maxime deceat, etiam necesse sit, ut *Patrimonium Christi, panem pauperum, pretia peccatorum* (his enim reditus nostri continentur) non carni, & sanguini, non gulæ vel ambitioni, seu quibuscunque corruptorum sensuum illecebris, sed divinissimis illis vsibus impendamus, si olim tremendo Judici, hæc quoque talenta cum vsuris exacturo, facilem rationem reddere velimus.

Non minus præsidii a Vobis exspecto, *Filii dilectissimi*, qui per amplissimam hanc Domini Vineam dispersi, portatis pondus diei, & æstus. *Pascite non vos, sed qui in vobis est Gregem Domini, forma facti Gregis ex animo*. Audeat quivis vestrum ovibus suis dicere: *imitatores mei estote, sicut & ego Christi*. Procul a moribus vestris sint omnia, quæ qualemcunque avaritiæ, ambitionis, aut carnalis, sensualisque voluptatis notam redolere, foetoreque suo

populum DEI afflare possent: exulet hypocrisis & simulatio, quæ & DEO odibilis est, nec homines diu fallere potest; studete autem, vt vita vestra sit instar speculi in alto positi, ad cuius aspectum grex Domini gressus suos in via mandatorum Domini componat. Exemplis probitatis addite Verbi Divini, & Sacramentorum pabulum: idque non solum scite, & perite, quod diligente sacrarum disciplinarum studio assequemini, ministrare, sed etiam frequenter, ac ferventer, ad quod incentivo sit Vobis propria status vestri conditio, dignitas animarum, pretio magno redemptarum, amor gloriæ DEI, qui *sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*: denique severa ratio reddenda Pastorum Pastori Christo JESU, cum ad iudicandum venerit, vt *reddat unicuique secundum opera ejus*.

Hæ ipsæ spes meæ Te quoque respiciunt *Pubes Sacra*, quæ in civitate hac sedes, donec imbuaris virtute ex alto. *Rigabo hortum meum plantationum, Eccli 24. & inebriabo prati mei fructum.* Vos autem Charissimi, per gratiam DEI enitamini, ut sitis terra benedicta & sacerdotalis, quæ rorem cœli avida excipiat, & ex eo germinet in herbam virentem, in herbam amœno odore suo totum hunc, qua latet, patet, agrum meum impleturam. *Terra enim sæpe venientem super* Hebr. 6.

*se bibens imbrem, & germinans herbam opportunam illis, a quibus colitur, accipit benedictionem a DEO; proferens autem spinas & tribulos, reproba est, & maledicto proxima, cujus consummatio in combustionem. Confidimus autem de vobis dilectissimi meliora, & viciniore salutem, tametsi ita loquimur. Ne vero spem nostram fallatis, primum communia militiæ Christianæ, deinde peculiaria vestra, qui Ducum partes obibitis, officia identidem pensate: impedimenta & adjumenta discite: illa alacres abjicite, fugite; hæc magno studio comparate. Concupiscentia carnis, cupiditas opum, & superbia vitæ, seu appetitus inordinatus propriæ excellentiæ, triceps cerberus est, contra quem una cum grege vobis credito subinde dimicandum erit: his igitur per fidem, spem, & Charitatem Divinam, per studium Evangelicarum beatitudinum domandis, ac vincendis jam nunc adsuescite; ne postea cæci cæcis, claudi, ac debiles languenti, & erranti plebi ducatum præbeatis. Huc tendant studia vestra omnia, huc crebræ ad DEUM preces, sine quo nihil potestis facere. Orate frequenter: Domine! ostende mihi finem meum, ut sciam, quid desit mihi.*

Ita multa & magna sunt adjumenta, quæ ad levandam pœneque abstergendam sollicitudinem meam mihi polliceor, a vobis Senes & juniores Ordinis mei

Viri,

Viri, qui Ecclesiam hanc sanctam mira varietate circumdatis; ornatis & regitis; sed nondum finis spei, gaudiique mei. *Pulchra es dilecta mea! Equitatu meo in curribus Pharaonis, assimilavi te amica mea. Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium: restat adhuc nobilissima Subsidiariorum cohors, Religiosi variorum Ordinum Viri, in nostrum & vestrum, Fratres charissimi, adjutorium tam sua professione, quam Ecclesiæ, ipsorum instituta probantis, voto destinati. Genus electum! date Operam, ut & vocationi vestræ, & spebus nostris respondeatis. Quanto arctiore votorum vinculo ad perfectionis Christianæ studium stringimini, tanto solertius vigilate, ne quæ cupiditatis, vanitatis, fastus, ambitionis, seu cuiuscunque dissolutionis exempla populo DEI præbeatis: magis satagite, ut privatim & publice, verbis & exemplis, Christi bonus odor effecti, trahatis Ecclesiam fidelium ad fervens religionis studium, ad DEI timorem & amorem, ad mortificationem internam & externam, ad contemptum temporalium & desiderium, curamque æternorum. Vel hæc privata religiosæ vitæ officia, & exempla quotidianis, modo ex corde puro pro Ecclesia sancta DEI fufis Orationibus vestris conjuncta,*

magno nobis in rebus & curis nostris erunt præsidio; adjicite his sancta Hierarchici Ordinis, cui in subsidium inferti estis, officia, & nihil erit, cur in multa hac messe de operariorum paucitate queramur. Curate tamen, ut officia ista reverentur, ac devote, scite, ac perite, non turpis lucri gratia, sed DEI, & proximi amore obeatis: postea, ne invitis his, quos *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam DEI*, aliquid attentetis. Nec in sæculi militia injussu Ducis arma expedire licet; & Athletis Christianis per ostium intrandum est. Petri navim, cum copiosam piscium multitudinem concluderet, focii ex alia navi non alias, nec prius juverunt, quam ubi, & quando illi annuerunt. Nec cœlestis Paterfamilias aliis sub vitæ vesperam denarium dabit, quam quos antea ad operandum vocavit: *ite & vos in vineam meam*. Credite Charissimi, nunquam vos quantumvis zelosa vestra opera compensaturos damna, quæ propriæ voluntatis ductu, hierarchicique ordinis neglectu, in Ecclesiam DEI irrepere facillime possunt. Subsidiarii vestri conatus, & labores Ecclesiæ DEI, animarumque saluti omnino sunt commodi, sunt perquam utiles; sed conservatio hierarchiæ Ecclesiasticæ, ut loquuntur Patres Tridentini in Spiritu Sancto congregati, *divinitus instituta*, est simpliciter & absolute necessaria in Eccle-



sia, quæ debet esse sicut castrorum acies ordinata. Nolite a me expectare, ut utile necessario præferri sinam. Cæterum quidquid a privata mea benevolentia, aut a publica officii mei ratione, & autoritate sive in tutelam, & præsidium, sive in commodum & ornamentum vestrum proficisci uspiam poterit, omne id tam promptum paratumque vobis apud me erit, quam vos Sanctæ vocationis vestræ studiosos, & in meum meorumque adjutorium expeditos fore cognovero. Id unum monitos vos, & rogatos velim, ne injuriam vestram interpretemini ea mea studia, quibus aut disciplinæ Ecclesiasticæ observantiam pro muneris mei ratione urgebo, aut jacentem Ordinem meum erigere, ornare, & ad officii sui exercitium reducere studebo. Adjutores ejus cum sitis, omnia ipsius commoda & ornamenta magisterio sinceræ Charitatis vestra esse existimate, & quo plus ille curarum suarum portaverit, eo minus subsidiarii fatigii vobis relinqui gaudete.

Jam in Te, Magne DEUS, desino, qui fragilitati meæ hæc adjumenta largiris. *Neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid, sed Tu, qui incrementum das DEUS.* A Te sunt Sancta desideria, recta Consilia, & justa opera. Dirigere, Sanctificare, regere, & gubernare digneris sensus, sermones & actus nostros in lege tua, & in operibus mandatorum tuorum, ad laudem & gloriam Sancti, ac terribilis nominis tui pro-

movendam, & ad exaltandam Ecclesiam tuam, quam  
acquiritur Filius tuus Sanguine suo. Ad id impetran-  
dum immolabo Tibi Sacrificium laudis, hostiam pu-  
ram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, illum  
ipsum Filium tuum, qui se Tibi in ara crucis pro sa-  
lute nostra obtulit. Pater! respice in faciem Chri-  
sti tui. Ne finas pretium Sanguinis ejus in nobis pe-  
rire! Hic est Filius tuus dilectus, in quo Tibi bene  
complacuit. Per ejus merita, per Sanguinem, passio-  
nem, ac mortem, mitte Spiritum tuum Sanctum de  
coelis, Spiritum Sapientiae, & intellectus, Spiritum  
Consilii & fortitudinis, qui illuminet, vivificet, roboret  
Sensus & Corda nostra, ut & quæ agenda sunt,  
videamus, & ad agenda, quæ viderimus,  
convalescamus. Amen.









